medicina existeret, etsi parvam aut pene nullam in
se haberet utilitatis ubertatem; quae quidem tanta
est, tantamque mihi largitur dicendi facultatem, tan-
tum affert argumentorum numerum, ut incertum sit, unde
mihi initium capiendum ducam? Faciam tamen, quod
fieri in argumento tam copioso decet, quodque nobis
probari video, contraham pleraque et his includam spa-
tiis, quae late possent alioquin et prolixe tractari.

Posteaquam infelix Adam, praeceptum de pomo servatu
facillimum transgressus, et quam non oportuit falsam
Dei similitudinem petiit, vera illa, quam possidebat,
miser excidit, non prorsus sed nec minima ex parte, or-
namentis gratiae quibus resplendebat denudatus, gra-
tuitis, inquam, donis supernaturalibus omnibus spolia-
tus, in naturalibus vero vulneratus et deturpatus
fuit. O sortem perpetuo nobis deplorandam! ubi,
inquam, primus parens noster ex illa divina praerogativa
amicitiae, summoque beatitatis culmine, tristissima ru-
ina praecipitatus est, peccandoque in Dei incidit indigna-
tionem, statim imperium ac dominationem in creaturas